J. Vahlenio
praeceptori carissimo
D. D.
grato pioque animo
scriptor.

ADOLPHO KIRCHHOFFIO

SACRUM.

Romanos cum moribus vitaeque institutis ceteris praestitisse populis, tum in administranda et amplificanda republica legibus et in re militari virtute plurimum valuisse, neque tamen doctrina et litteris Graecos aequiperasse Cicero perspexit et cognovit [1]); quod cum viri docti approbavissent, factum est, ut, cum res Romanae magna in admiratione essent et fere solae, quae investigarentur et explanarentur, putarentur dignae, Graecorum instituta et leges non solum negligerentur, sed etiam ita contemnerentur, ut absurdissimum quidque et grammaticorum temeritate ac negligentia fictum Graecis tribueretur. Quarum quo maior erat ineptiarum multitudo et quo difficilius ad intelligendum et diiudicandum, sententiae a grammaticis traditae habendane fides an abroganda esset, eo in meliore et clariore sunt laude viri illustrissimi, qui cum certis destinatisque sententiis non impediti interpretum dicta et ficta ad scriptorum veterum auctoritatem referrent, verum a falso distinxerunt, hoc restituerunt et firmaverunt, illud reiecerunt et repudiaverunt, et id quidem non quo Graecorum instituta et leges pluris, quam Romanorum aestimarent, sed ut ne Graecos quidem in administranda republica integra certaque ratione caruisse demonstrarent. Horum igitur virorum vias et vestigia ingressus de antidosi apud Athenienses disputabo atque exponam, non tam quid grammatici peccaverint, quam quid certi ex iis, quae de hoc instituto a testibus multo locupletioribus traduntur, col-

---

1) cf. Tusc. disp. l. I init.

ligendum sit. Qua de re quamquam Dittenbergerus in singulari libello [1]), qui inscribitur „Ueber den Vermögenstausch und die Trierarchie des Demosthenes", non solum eximie contra viros doctos, qui eandem rem tractaverant, disseruit, sed etiam primus iusta via ac ratione in persequenda explicandaque antidosi usus est, tamen cum neque ad certum finem vir ille doctus pervenerit et nonnulla, quae in dubitationem vocari et possunt et debent, protulerit, eandem illam rem tractabo et, quae ille inchoata reliquit, ego absolvere studebo. Cum vero qui ante Dittenbergerum de permutatione — quo vocabulo vocem, quae est *ἀντίδοσις*, Latine reddere consuevimus — disserebant, quae grammatici interpretesque praecipue Ulpianus ille sive parum diligentes coniecerant sive parum religiosi finxerant [2]), ea probaverint in eundemque ipsi, in quem hi errorem inducti sint, res ipsa, ne, quibus omnium consensu abroganda fides sit, eos sequamur, facit, ut videamus, quae quorumque scriptorum te-

---

1) Hic libellus prodiit ao. 1872 praefixus schedis gymnasii Rudolstadiensis.

2) Satis est haec afferre:

Schol. ad Demosth. p. 50, 20 (or. IV, § 36):

ἀντιδόσεις: τὸ τῆς ἀντιδόσεως ὂν παλαιὸν Ἀθηναίοις τοιουτόν τι ἦν. Πολλάκις τις ἐχειροτονεῖτο εἰς λειτουργίαν τινὰ καὶ προεφασίζετο μὴ δύνασθαι ταύτην ὑποφέρειν. Ἀνίστατό τις ἀντιδιδοὺς αὐτῷ τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν καὶ φάσκων ὅτι πρόφασις εἴη τὰ παρ' αὐτοῦ λεγόμενα. Εἰ δέ φησιν, ὅτι οὐ δύναται ἡ αὐτοῦ οὐσία ταυτὶ λειτουργῆσαι, λαβὼν ταύτην ἐγὼ καὶ ἀντιδιδοὺς ἐκείνῳ τὴν ἐμὴν δύναμαι ποιεῖν. Ἐκ τούτου ἠναγκάζετο ἢ δοῦναι τὴν οὐσίαν ἢ λειτουργεῖσθαι.

Schol. ad Demosth. p. 540, 2 (Midianae § 79):

Καὶ πρῶτον μὲν κατέσχισαν τὰς θύρας: Ἅλωσιν ὑπογράφει τῷ λόγῳ. Εἰκὸς μὲν γὰρ ἦν ἀνοῖξαί τινας θύρας, ἐφ' ᾧτε γνῶναι τὰ ἐνόντα, εἰ ἄξιά ἐστι τῆς ἀντιδόσεως. Ὁ δὲ „κατέσχισαν" εἶπεν ὡς καὶ „εἰςεπήδησαν".

Suidas p. 389 (ed. Gaisford) s. v. ἀντίδοσις:

Τοὺς εἰς λειτουργίαν τινὰ χειροτονουμένους καὶ μὴ βουλομένους λειτουργεῖν ἐπὶ προφάσει πενίας ἀντεδίδουν ἕτεροι τὰς ἑαυτῶν οὐσίας λέγοντες, εἰ λάβωσι τὰς ἐκείνων λειτουργεῖν. Ἐξ ὧν ἠναγκάζετο ἢ διδόναι τὰς οὐσίας οἱ προσταττόμενοι ἢ λειτουργεῖν. Τὸ οὖν ἀντιδιδόναι τινὰς τὰς ἑαυτῶν οὐσίας καὶ λαμβάνειν τὰς ἑτέρων τῶν προσταττομένων λειτουργεῖν ἐλέγετο ἀντίδοσις.

stimonia adhibenda, quae contemnenda sint. Primum igitur mihi videtur de fontibus fundamentisque quaestionis, deinde de causis, quae antidosi suberant, et de provocando, postremo de lite, quae ex antidosi nascebatur, esse disserendum.

De fundamentis quaestionis Boeckhius quamquam Ulpiani temeritatem et negligentiam interpretandi reprehendebat et pervellebat [1]), tamen, cum sibi non constaret et ab interpretis sententia, quam si ad scriptorum antiquorum orationes retulisset, explosisset ac reiecisset, proficisceretur et in deligendis auctoribus parum vigilaret, aeque erravit atque vv. dd. Sam. Petitus, Heffterus, Platnerus, Spaldingius, Fr. Aug. Wolfius [2]), qui si institutum illud recte percepisset et explicasset, antidosin „rem ridiculam et subabsurdam" esse nobis probaret. Dittenbergerus autem qui multo et diligentius et cautius delectum habens fontes petivit rivulosque praeteriit, ex orationum fontibus solis l. l. p. 1 nos docuit hauriendum esse. Itaque ut vera, non verisimilia anquirendo inveniamus, duabus propositis rationibus, utra sit eligenda et adhibenda, cur grammaticorum sint sententiae contemnendae, scriptorum tractandae vides; statuamus igitur, quibus adhibitis orationibus quid ad antidosin derivari possit. Atque Isocrates quidem quamquam orationem de antidosi perlongam composuit, tamen, quia in integritate sua et benigni-

---

1) Ex. gr. in oeconomici Atheniensium politici vol. I p. 426 de Ulpiano illo haec dicuntur: „Ulpians Zeugnisse beweisen gewöhnlich nichts, weil sie blosse Schlüsse aus missverstandenen Stellen seines Demosthenes sind," et p. 714 haec: „Ulpian hat wie gewöhnlich keinen Gewährsmann, sondern folgert mit einer merkwürdigen Logik alles dieses erst aus den Demosthenischen Worten."

2) Sam. Petitus de antidosi disseruit in libro, quem de legibus Atticis scripsit p. 281 sqq., Heffterus in libro „Athenaische Gerichtsverfassung" inscripto p. 378 sqq., Platnerus in libro qui inscribitur „Der Prozess und die Klagen bei den Attikern" p. 98 et 106 sqq., Spaldingius in prolegomenis in Demosthenis orationem Leptineam p. 123 sq. (ed. Halensis); Ernestus Curtius „historia Graeca" ed. III vol. III p. 556 sq. Vollbrechti liber „de antidosi apud Athenienses" inscriptus praesto mihi non erat.

tate, in innocentia et benevolentia longus, in antidosi brevis est, nihil praebet, quod, si nos deficeret, desideraretur. Quatuor autem Demosthenis Lysiaeque orationes duae ad investigandam antidosis rationem alia maius alia nobis afferunt adiumentum, longe maximum in actione de antidosi habita oratio in Phaenippum, quae rectene an falso Demostheni tributa sit, nihil ad rem. Quae cum oratio primario sit loco, secundum tres obtinent locum, scilicet oratio Midiana et in Aphobum habita secunda et Lysiae quarta quae περὶ τραύματος ἐκ προνοίας est facta, tertium vero Leptinea Demosthenis Lysiaeque oratio XXIV πρὸς τὴν εἰςαγγελίαν περὶ τοῦ μὴ δίδοσθαι τῷ ἀδυνάτῳ ἀργύριον composita atque ea, quae aut ab his oratoribus aut a Xenophonte obiter memorantur et quae inventa potius confirmant, quam nova eaque gravia adiiciunt. Quibus qui quaestionis fundamentis utitur, non solum grammaticorum opiniones et errores refutabit et tollet, sed etiam, quod quaeritur, inveniet.

Ut vero iam ad illa maiora veniamus, quae fuerunt provocandi causae et quid uterque, et provocans et provocatus facere et potuit et debuit? Quae cum a Dittenbergero l. l. p. 2 sq. luculenter et dilucide sint exposita, tamen, ne quid praetereatur, ea brevi comprehendam; atque res ita se habuit: Civi Atheniensi magistratum ponamus aut trierarchiae vel choregiae munus aut si in trecentorum ditissimorum numero ille erat, pecuniam quae suppeditaretur et commodaretur, imperasse. Is si suis se facultatibus putavit munere fungi neque posse neque debere, ab eo, quem quamvis ditiorem et locupletiorem a magistratu praeteritum vidit, petivit, ut munus obiret. Quo facto provocatus ex tribus, quas ingredi vias potuit, aliquam ingressus est; nimirum aut munus obiit aut cum provocante pactus est aut, quominus munere fungeretur, recusavit. Quod si morem provocanti gessit et munus se promisit obiturum esse, haud scio an ipse se promisso staturum iuraverit, provocans autem rem ad magistratum retulerit. Quae cum neque argumentis demonstrentur neque e verbis aut oratoris aut scriptoris colligantur, tamen a verisimilitudine et probabi-

litate tantum abest ut abhorreant, ut et coniici et statui possint. Sed alteram, quam quidem dixi patuisse viam, consideremus. Nam ut in aliis causis privatis, ita in illa, priusquam res in iudicium adduceretur, eos, qui de munere disceptabant, pacisci potuisse, cum per se sit consentaneum, tum ex oratione Lysiacarum quarta, de qua infra erit disserendum, apparebit. Etenim si aut uterque solus suis impensis munus obire nolebat aut alter altero non multo erat ditior, pacisci malebant, quam litigare easque delabi in difficultates, quae non magis ex actione de antidosi, quam ex iis rebus, quae, antequam causa ageretur, perficiendae erant, nascebantur. Restat, ut provocatus, quominus munus obiret, recusaverit; qua de re, quoniam Phaenippus provocantis vice in trecentorum numero fungi noluit, satis docemur ea oratione, quae a quo sit habita, a quo composita nescimus. Cum vero quid a provocante et a provocato ageretur, Dittenbergerus l. l. p. 2 sq. luculentissime tractaverit atque exposuerit, hic hunc locum quam paucissimis tangere satis est. Cui enim magistratus munus imperaverat, is, postquam alium, quem sese locupletiorem putabat, provocavit ab eoque, ut munere fungeretur, quamquam petivit, tamen non impetravit, cum amicis in aedes et agrum provocati se contulit, ut quae ille haberet perspiceret, quae deberet, cognosceret ex eoque occlusis obsignatisque aedibus exigeret cogeretque, ut se tertio die post inventarium bonorum ipsi traditurum iuraret. Quo facto provocatus eadem illa aggressus provocantis perspexit facultates, obsignavit aedes, iusiurandum accepit. Quam rationem cum orator ille non praetervolaverit, sed dilucide et copiose exposuerit, tamen, priusquam pergamus, ne, quod non narraretur, id factum non esse opinemur, nonnulla orationis in Phaenippum verba afferenda et explicanda sunt. Leguntur enim § 5 haec: *ἐν ταύταις* (scil. *ταῖς ἀντιδόσεσιν*) *ἐκάλεσα κατὰ τὸν νόμον Φαίνιππον τουτονί. καλέσας δὲ καὶ παραλαβὼν τῶν οἰκείων τινὰς καὶ φίλων ἐπορευόμην Κυθηρόνδε εἰς τὴν ἐσχατιὰν αὐτοῦ.* Orator igitur se Phaenippum provocasse narrat et, quemadmodum eius bona perspexerit aedesque obsignaverit, docet, non narrat Phaenippum, ne in

trecentorum locum ascenderet, recusasse. Nec vero, si, quod provocatus respondisset, orator aperte non dixit, idcirco provocanti, cum nesciret, num futurum esset, ut causa apud iudices ageretur, provocati bona et perspicere et obsignare licuit. Quid ergo est, cur orator illud silentio praeterierit? Non ignoraverunt iudices, cum causa de antidosi ageretur, quid responsum esset. Atque ex participio aoristi, quod est *καλέσας*, intelligitur oratorem Phaenippo provocato amicos arcessivisse, quibuscum adversarii in agrum se conferret. Quae inania et levia fortasse videntur, sunt gravia et magna, cum praesertim eos, qui, quae sit vis subiecta voci *ἀντίδοσις*, anquirunt, vehementer adiuvent. Ac de iis quidem rebus, quae et provocanti et provocato in provocando erant conficiendae et absolvendae, satis dictum est; placet autem, quia, nisi nomen rei recte interpretati erimus, institutum neque penitus perspicere neque accurate explicare poterimus, nunc definire, quid sit *ἀντίδοσις*. Neque enim viris illis doctis, qui veterum interpretum sententiis comprobatis ad verba *ἀντιδιδόναι* et *ἀντίδοσις* substantivi *οὐσία* casum obliquum censuerunt cogitatione addendum esse, adsentior neque Dittenbergero, qui idem illud substantivum adiecit. Cum autem Dittenbergerus contra viros doctos, qui illud institutum descripserant, et fortiter et feliciter pugnaverit eosque devicerit, equidem hoc bellum iam profligatum et sublatum non renovabo, sed quam ipse proposuit sententiam examinabo, meam proferam argumentisque adiuvabo et confirmabo.

Ac vir ille doctus verbis quae sunt *ἀντιδιδόναι* et *ἀντίδοσις* obsignandi[1]), non permutandi subiectam esse vim contendit; nam, ut supra dictum, ne quid facultatum absconderetur neve supprimeretur, litigantium alter alterius aedes obsignavit, non quo eas vindicaret, sed ut et ipsi

---

1) Dittenbergerus l. l. p. 3: „Die vorläufige gegenseitige Beschlagnahme des Vermögens," inquit, „durch beide Parteien vor jeder gerichtlichen Verhandlung oder Entscheidung ist überall und immer gemeint, wo der Ausdruck ἀντίδοσις oder das Verbum ἀντιδιδόναι bei den Rednern gebraucht wird."

non modo verbis et orationibus, sed argumentis et rationibus apud iudices disceptare et iudices utriusque facultatum magnitudine penitus perspecta planeque cognita controversiam diiudicare possent. Quocirca ea quidem enuntiata, in quibus verba illa absoluta leguntur, e Dittenbergeri sententia explicari posse, praefracte negari non potest; restant autem cum ea enuntiata, ubi aut de substantivo *ἀντίδοσις* genitivus aut de verbo *ἀντιδιδόναι* accusativus eius substantivi, quod, de quo agatur munere, significat, pendet, tum formula quae est *ποιεῖν τὰς ἀντιδόσεις*, quae quemadmodum sint explicanda, Dittenbergerus non docet. Quos locos si perscrutati erimus, de Dittenbergeri sententia demovebimur et ad aliam, ut puto, nostro iure accedemus. Dittenbergerum enim si recte verborum vim explicasse ponitur, quid verbis quae sunt *ποιεῖν τὰς ἀντιδόσεις* continetur et describitur aliud, nisi aut effecisse strategos aut concessisse aut imperasse, ut eorum, qui, quod ipsis magistratus imperasset munus, id ad alium civem aut detulissent aut delaturi essent, bona perspicerentur aedesque obsignarentur? Quam nemo non intelligit in verbis non inesse vim, qui, quod supra p. 5 demonstravimus, comprobet, scilicet aedes de munere disceptantium non obsignatas esse, si provocatus aut sua sponte munus obiit aut cum provocante pactus est. An fieri potuisse putamus, ut id a strategis praeciperetur et imperaretur, quod quamvis imperatum esset, tamen non fieret? At enim munus quidem, antequam strategi illud *ποιεῖν τὰς ἀντιδόσεις* facerent, alter ad alterum detulit, aedes vero ante diem a strategis constitutam obsignare neutri licuit. Quasi vero quisquam ex his § 5 or. in Phaen. verbis *ἐν ταύταις* (scil. *ταῖς ἀντιδόσεσιν*) *ἐκάλεσα κατὰ τὸν νόμον Φαίνιππον τουτονί* concludere dubitet oratori diem, qua Phaenippum provocaret, fuisse exspectandam neque ante provocare licuisse, quam strategi, ut provocaret, permitterent. Quid autem fuerit, cur provocandi dies a magistratu constitueretur atque ediceretur [1], ex eo intelligitur,

1) Ut trierarchis quoque et choregis magistratus provocandi diem edixerit, ex iis quae scio testimoniis non efficitur.

quod scire plurimum intererat, num quis, quo tempore respublica postularet, officium suum servare, munus obire, id, quod opus erat, quodque debebat, posset suppeditare. Formulam igitur illam recte e Dittenbergeri sententia posse explicari ut negandum est, ita enuntiata illa, in quibus voces *ἀντιδιδόναι* et *ἀντίδοσις* cum substantivis quibusdam coniunctae sunt, contra Dittenbergerum facere facile intelligitur. Quomodo enim genitivum aut accusativum de iis vocibus pendentem interpretaris, quas, nisi eosdem alius substantivi casus cogitatione adieceris, ne percipi quidem arbitraris? Quam ob rem aliam ingrediamur viam eaque utamur explicatione, ut primum, quae vis voci quae est *ἀντιδιδόναι* subsit videamus, deinde quid ex utroque enuntiatorum, in quibus illa vox legitur, genere invenire et concludere possimus, postremo num quod invenimus et statuimus, ad oratoris verba, quibus confirmetur, revocari possit.

Verbo quod est *διδόναι* cum non solum tribuendi et dandi, verum etiam offerendi et deferendi vis subiecta sit, cumque praefixa verbo praepositione quae est *ἀντί*, vicissitudo significetur, ut eadem re alter alterum afficiat, verbum quod est *ἀντιδιδόναι* patet posse usurpari, si quis, quod ab altero ad ipsum delatum est, id ad alterum illum referat. Iam vero quid in antidosi delatum sit, quid relatum, verba nos docent Demosthenis in Mid. § 78 *ἀντιδιδόντες τριηραρχίαν* et Xenophontis oecon. VII, 3 *ὅταν γέ με εἰς ἀντίδοσιν καλῶνται τριηραρχίας ἢ χορηγίας*. Itaque, ut vitemus, cum moneam, illud, in quod grammaticorum atque interpretum temeritas et negligentia delata et delapsa sit, quodque viri doctissimi verisimilitudinis et probabilitatis specie deducti iure se adamasse fortiterque defendisse putaverint, tum ut ad verba *ἀντιδιδόναι* et *ἀντίδοσις*, ubicumque occurrunt, quoniam antiqui scriptores, testes omnium locupletissimi, praecipiunt, cogitatione addatur suadeo, si de munere aliquo actum sit, nomen, quo hoc munus significetur, sin de loco in trecentorum ordine, officia, quae trecentis illis servanda fuerint. Quod autem non solum

provocatus sed etiam provocans ὁ ἀντιδιδούς vocabatur, praepositione ἀντί continetur; cuius rei exemplum et argumentum, quo nullum est illustrius, voce quae est ἀντίδικος proditur, qua et accusator significatur et reus.

De explicanda voce et de altero enuntiatorum genere, in quibus de illa voce substantivum pendet, satis dictum est; sequitur, ut in ea enuntiata, in quibus verba ἀντίδοσις et ἀντιδιδόναι absoluta leguntur, inquiratur. Ac primum quidem sententia a me proposita si ad verba quae sunt ποιεῖν τὰς ἀντιδόσεις revocabitur, tot et tantae quantae Dittenbergero non erunt explicandi difficultates; strategorum enim fuisse ex illa formula intelligetur efficere aut permittere, ut, qui non sibi sed alii eique locupletiori arbitraretur munus obeundum esse, is alium provocaret. Deinde contra Dittenbergerum verba or. in Phaen. § 1 ὁ περὶ τῶν ἀντιδόσεων νόμος afferri possunt. An legi nomen ab obsignatis aedibus inditum est, aedes vero non obsignabantur, nisi ad argumentandum? Absurdiusne quicquam est, quam περὶ τῶν ἀντιδόσεων [1]) vocari legem, qua, si provocatus munus obiisset, ne bona perspicerentur neve aedes obsignarentur, praecipiendum fuit? Quibus in rebus, qui meam sententiam comprobat, offendere nequit. Ex mea enim sententia ὁ περὶ τῶν ἀντιδόσεων νόμος lex fuit, qua cum permitteretur, ut civis ad civem, quod ipsi magistratus imperasset, munus differret, tum ea omnia, quae utrique in provocando agenda essent, deinceps et praescriberentur et describerentur, ne esset, qui neque adversarii aedes obsignaret, neque suas ab hoc obsignari pateretur, qui quicquam — ut Phaenippus — ageret, quo aut adversarium aut iudices deciperet. Quod si hanc legem recte interpretamur, duo verbi ἀντιδιδόναι participia, alterum perfecti temporis in § 1, alterum praesentis in § 18, facile et accurate explicari possunt; hoc enim et ii, qui alios iam provocaverunt, et ii, qui provocati munus ad deferentes retulerunt, significantur, illo, ut in lege fieri solet,

1) De plurali numero infra disputabitur.

qui quovis tempore et provocant et provocantur; qui sensus cum oratoris verbis optime convenit.

Tum verba, quibus ibidem § 30 Phaenippi calumnia depingitur, consideremus; locus est hic: *πρὸς δὲ τούτοις τὴν ὕλην τὴν τετμημένην πεπρακότα μετὰ τὴν ἀντίδοσιν, πλέον ἢ τριάκοντα μνῶν οὖσαν ἀξίαν, καὶ τὸ πάντων μέγιστον, χρέα ψευδῆ κατεσκευακότα τῆς ἀντιδόσεως ἕνεκα, τοῦτον δικαίως ψηφιεῖσθε πεποιῆσθαι τὴν ἀπόφασιν;* Quo in enuntiato ad explicandam vocem *ἀντίδοσις* duo argumenta inesse videntur, inest unum; nam alterum illud, quod verbis *μετὰ τὴν ἀντίδοσιν* praeberi putes, quia neque Dittenbergeri sententiam confirmat neque labefactat meam, nullum est; contra quid e verbis *τῆς ἀντιδόσεως ἕνεκα* efficiatur, ostendam. Quae verba non bene praecipiunt qui ita iubent explicari, ut, cum aedes obsignatae essent, Phaenippus in aere se esse alieno simulans adversarium decipere voluerit. Cum enim fieri posse non ignorem, ut, cui bonis suis ad suum arbitrium uti non liceat, in aes alienum incidat, tamen nescio, num quis idcirco, quod aedes occlusae et obsignatae sint, sibi aes alienum esse contendat et mentiatur. Quae res ei offensioni non est, qui, quoniam munus ad Phaenippum delatum est, eum permotum esse ponat, ut, quo tenuiores facultates viderentur esse, eo maiorem se diceret debere aliis pecuniam. At enim non aedes obsignatae, sed munus delatum si fraudis et fallaciae causa fuit, cur se in aere alieno esse Phaenippus postquam negavit, in tabulas retulit? Quia quid quisque finxisset atque ementitus esset, cognoscere, dum bona perspiciuntur, facile erat, demonstrare autem et convincere, in inventarium quae non referenda essent ea ab adversario periuro relata esse, perdifficile. Sed, ut ad graviora veniamus, argumenta, ibidem § 10 init. haec leguntur: *ἃ μὲν τοίνυν εὐθὺς τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ μετὰ τὰς ἀντιδόσεις ἤρξατό με Φαίνιππος ἀδικεῖν ἀκηκόατε.* Quibus in verbis si illam, quam voluit Dittenbergerus, voci *ἀντίδοσις* subiectam esse vim ponatur, pluralis numerus quid sibi velit non intelligitur, cum praesertim v. d. numero singulari significari statuerit aedes utrius-

que litigantis obsignatas esse [1]). An eodem die omnes de trecentis, qui volebant, putas provocasse alios eorumque aedes obsignasse? Pluralis igitur numerus tantum abest ut ab eo, qui Dittenbergerum sequitur, recte explicetur, ut nos adducat, ut verba *μετὰ τὰς ἀντιδόσεις* cum illis *ποιεῖν τὰς ἀντιδόσεις* et *ὁ περὶ τῶν ἀντιδόσεων νόμος* supra explicitis comparemus. Ex quo efficitur, ut verbis *τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ μετὰ τὰς ἀντιδόσεις* dies significetur ei diei proximus, quo strategi permiserint, ut, qui se negarent trecentorum illorum officia servare posse, alios provocarent. Quocirca orator si illum diem, quo ipse Phaenippum provocasset, significare voluisset, singularem, non pluralem dixisset. Atque, ut, quod supra promisi hic exsolvam, quoniam bona eodem modo a trierarchis, et choregis, quo ab iis, qui ex trecentorum numero erant, perspiciebantur aedesque obsignabantur, lex illa Graecis *ὁ περὶ τῆς ἀντιδόσεως νόμος*, non *ὁ περὶ τῶν ἀντιδόσεων νόμος* vocanda fuit; pluralis autem numerus adiecto articulo propterea adhibebatur, quod aliud munus sibi imperatum alius ad alium deferebat.

Adhuc quae ex oratione XLII ad vim vocis *ἀντίδοσις* sumi possunt, persecutus sum, nunc quem qualemque fructum ex ipsius Demosthenis orationibus possimus percipere, videamus. Atque in Leptineae § 130 verbis, quae sunt: *οὔτε φυλὴ πώποτ' ἐνεγκεῖν ἐτόλμησεν οὐδεμία οὐδένα τῶν ἀπ' ἐκείνων χορηγὸν οὔτ' ἐνεχθεὶς αὐτοῖς ἄλλος οὐδεὶς ἀντιδοῦναι* Dittenbergerus dubitavit, utrum ad infinitivum *ἀντιδοῦναι* accusativum *τὴν χορηγίαν* ex antecedenti nomine *χορηγόν* cogitatione adderet, an verbum absolutum esse statueret. Quod si hoc, cum a verisimilitudine proxime absit, probabilius videatur, enuntiatum illud cum verbis Xenophontis oeconomici supra laudatis conferendum idemque ex utraque sententia colligendum est, sin illud Leptineae verba Dittenbergeri sententiam non magis adiuvant, quam meam; idem de Isocratis orationis, quae inscri-

1) Attende illa quae sunt: die vorläufige, gegenseitige Beschlagnahme durch beide Parteien; Dittenbergerus autem, si verbum alio modo interpretatus esset, praepositionem praeteriisset et neglexisset.

bitur *περὶ ἀντιδόσεως*, verbis *ἀντιδόσεως γενομένης περὶ χορηγίας* statuendum est. Quae cum in dubio sint relinquenda, non tanto nobis sunt subsidio, quanto quae Demosthenes de muneribus suis narrat; quam ob rem, quamvis infra de prima eius trierarchia fusius disputandum sit, tamen, quae ad hunc locum pertinent, nunc commemorare et exponere placet. Atque Midianae § 156 consideremus verba *κἀγὼ μὲν ἐθελοντὴς νῦν, οὗτος δὲ καταστὰς ἐξ ἀντιδόσεως τότε*, quibus orator, postquam Midiam chorum tragicum, se tibicinum exornasse narravit, utitur. Midias igitur, quem provocatum et a iudicibus condemnatum munus obiisse apparet, condemnatusne est, quia bona erant perspecta aedesque obsignatae? Immo, quia provocatus erat. Qua comprobata sententia verba *καταστὰς ἐξ ἀντιδόσεως* aptissime opponuntur voci *ἐθελοντὴς* antecedenti. Alter, qui sententiam meam confirmat, locus in oratione in Aphobum II § 17 est, ubi Demosthenes se, quod verbo *ἀντέδωκα* significatur, fecisse vel potius Thrasylocho munus ad ipsum deferenti respondisse dicit. Unde Dittenbergero colligendum est provocantis aedes ab oratore obsignatas esse. Quod ut iure colligatur timeo, quia, quamquam dubium est, num Thrasylochi facultates umquam a Demosthene perspecta sint, tamen dubitari non potest, quin Demosthenes, cum illud *ἀντιδιδόναι* faceret vel diceret, ne potuerit quidem adversarii aedes obsignare. Neque illud, si Dittenbergero de vi vocis *ἀντίδοσις* assentiare, intelligas et explices, quo iure verba *ἀντέδωκα μέν* insequentibus *ἀπέκλεισα δέ* opponantur, quae quid exprimant, Ernestus Curtius cognovit [1]), Dittenbergerus l. l. p. 22 probavit; sin vero ad verbum *ἀντέδωκα* accusativus *τὴν τριηραρχίαν* adiicitur, verba optime et aptissime iunguntur et continuantur enuntiatique tenor hic est: ad Demosthenem cum Thrasylochus munus detulisset, ille munus quidem ad provocantem retulit, bona vero ut perspicerentur, quamquam permittendum erat, non permisit.

Postremo Lysiae or. III § 20 haec verba: *Σίμων δ' οὐ-*

---

1) Hist. gr. ed. III vol. III p. 798 adn. 90.

τοσί, τῶν πάντων τῶν κακῶν αἴτιος γενόμενος, τὸν μὲν ἄλλον χρόνον ἡσυχίαν ἦγε δεδιὼς περὶ αὑτοῦ, ἐπειδὴ δὲ δίκας ἰδίας ᾔσθετο κακῶς ἀγωνισάμενον ἐξ ἀντιδόσεως, καταφρονήσας μου οὑτωσὶ τολμηρῶς εἰς τοιοῦτον ἀγῶνά με κατέστησεν laudanda et paucis tangenda sunt, non quo quid gravioris momenti ex iis comparetur, sed ut omnes, quos accepimus et invenimus ad hanc quaestionem locos, tentemus. Cum enim, qualis fuerit antidosis qualesque causae privatae actae sint, nesciamus, satis est commemorare nihil neque ex illis verbis neque ex ullo illius orationis enuntiato inveniri, quod nos adducat, ut propterea, quod aedes obsignatae essent, causis privatis eum, qui orationem habuit, cecidisse opinemur.

Quae igitur ab oratoribus ad antidosin disputantur quaeque iis, qui, quae vis subsit voci ἀντίδοσις, anquirunt, ex usu sunt, iis demonstratur interpretibus grammaticisque veteribus, qui institutum describentes ne nomen quidem recte definiverint, fidem abrogandam esse; iisdem quid fuerit declaratur, cur interpretes illi errarent et facultates permutatas esse putarent, nimirum quod bona alterius ab altero litigantium perspecta et obsignata esse non cognoscere non potuerunt, quo tamen consilio hoc fieret, quamquam potuerunt, non cognoverunt; itaque causa cum eo, quod quidem de causa si non debuit, at potuit effici, commutaverunt. Contra viros autem doctos, qui nostra memoria de antidosi disseruerunt, quorumque alius magis alio captiosa probabilitate deceptus et grammaticos secutus est, Dittenbergerus disputavit et demonstravit, quem heliastae condemnassent, ei, ut eligeret, utrum munus obiret, an bona cum adversario permutaret, potestatem optionemque non fuisse; verum cum eos se negaverit refutare posse, qui bona permutata esse nonnullis oratorum sententiis declarari arbitrentur, mihi illa enuntiata omnia, e quibus unum Dittenbergerus praeteriit, retractare atque explicare liceat. Lubet autem, quod pacisci litigantibus causa acta et diiudicata licebat, hanc quoque rem ante tangere ac breviter describere.

Quamvis saepe evenisse verisimile non sit, ut is, qui causam obtinuit, cum adversario beneficii gratiaeque causa paci-

sceretur, tamen ille ut erga adversarium facile se et benevole gereret eumque suarum sua sponte facultatum parte adiuvaret, causis nescio quibus adduci potuit. Huiusmodi ut certum quiddam et breve exempli causa ponamus, civis Atheniensis ad alterum viginti minis ditiorem trierarchiae munus detulit, causa apud iudices acta provocatus condemnatus est; quo facto munus provocato obeundum fuit, eiusque facultates, quanto maiores fuerant, tanto tenuiores impensis in navi exornanda factis fiebant. Adde alias, quas facile inveneris, causas, cur alter in alterum beneficium contulerit, quid tandem obstitit, quominus res inter eos conveniret? Quae pactio ab illa, quam, priusquam causa apud iudices ageretur, supra diximus potuisse fieri, eo distat, quod causa diiudicata litigantibus, ut qui iudicio vicit munus obiret, constituere non licebat.

Verum ut ad illud quod mihi propositum est revertar, a duobus or. in Phaen. enuntiatis, quorum quidem de altero Dittenbergerus sine controversia l. l. p. 9 rectissime disseruit, alterum explicari posse non iure desperavit, interpretandi capiamus exordium. Atque § 19 haec verba leguntur: *ἐγὼ γὰρ καὶ πρότερον προεκαλεσάμην Φαίνιππον καὶ νῦν, ὦ ἄνδρες δικασταί, δίδωμι αὐτῷ δωρεὰν καὶ ἀφίσταμαι μετὰ τῆς ἄλλης οὐσίας καὶ τῶν ἐν τοῖς ἔργοις, ἐάν μοι τὴν ἐσχατιὰν μόνην ἐλευθέραν παραδῷ, ὥσπερ ἦν, ὅτ' ἐγὼ τὸ πρῶτον ἦλθον εἰς αὐτὴν μετὰ μαρτύρων, καὶ ἐὰν ὃν ἐξῆχεν ἐκ τῶν οἰκημάτων σῖτον καὶ οἶνον καὶ τἆλλα, ἀφελὼν ἀπὸ τῶν θυρῶν τὰ σημεῖα, ταῦτα πάλιν εἰς ταὐτὸ καταστήσῃ.* Quibus quidem verbis quid aliud orator demonstrat, nisi Phaenippum multo sese ditiorem esse omnesque suas facultates tanti non esse, quanti esset ager provocati cum frugibus rebusque iis, quae inde caperentur? Neque quisquam, opinor, ullam aliam in his verbis inesse sententiam existimasset, si oratoris verba sola respexisset, ineptias grammaticorum perspexisset et despexisset, si non solum verba *καὶ πρότερον προεκαλεσάμην* optime cum iis, quae supra § 11 et 12 de convento leguntur, concinere, sed etiam enuntiatum *καὶ νῦν* i. e. nunc cum actio apud iudices agitur, *δίδωμι αὐτῷ δωρεάν* obstare intellexisset, quominus causa diiudicata facultates

permutari potuisse putarentur. Quam ob rem Dittenbergero assentiendum est ita disputanti: „Abgesehen davon, dass diess (das Tauschanerbieten) gewiss nicht ernst gemeint, sondern nur darauf berechnet ist, in dem sicher vorauszusehenden Falle der Ablehnung von Seiten des Phaenippus als Beweismoment gemacht zu werden, so ist diess ein Vorschlag zu einem Vergleich, wie er vor der richterlichen Entscheidung natürlich zwischen den Parteien zulässig war.“

Ex alterius autem loci verbis quo gravius, eo ad refutandum difficilius argumentum sumi potest; quocirca anquirendum acerrimeque contemplandum est, utrum verba § 27 quae sunt *ἀλλ᾽ ἐῶ μετέχειν τῶν ἐμαυτοῦ τὴν μητέρα ἄν τε τὴν Φαινίππου ἄν τε τὴν ἐμαυτοῦ ἔχω οὐσίαν* a Dittenbergero iure in aenigmatibus nimis obscuris sint habita, an via possit indagari, qua ad finem aliquem atque exitum perveniatur. Totius autem loci argumentum hoc est: lege quamvis esset sancitum, ut patre mortuo matris dos filii fieret eiusque esset matri, quaecunque ad victum essent necessaria, praebere, tamen Phaenippus, ut multa videretur debere, possidere pauca, in inventarium, quod leges violans conventumque negligens paullo ante diem ad agendum constitutam actori tradidit, matri dotem se retulit debere. Contra actor, non modo, inquit, quod non debeo, id inter ea quae debeo non enumeravi, sed etiam matrem omnibus meis frui patior *ἄν τε τὴν Φαινίππου ἄν τε τὴν ἐμαυτοῦ ἔχω οὐσίαν*; quae quid sibi velint verba, sunt qui ita interpretentur, ut orator se semper pietatem et iustitiam erga matrem glorietur et coluisse et culturum esse sive suorum bonorum possessionem teneat, sive in Phaenippi facultatum possessionem permutando veniat. Quam rationem comprobantes, qui de antidosi disseruerunt, omnes neglexerunt, quid Reiskius de illo enuntiato sentiret; is in illis verbis ita offendisse videtur, — causas non affert — ut enuntiati argumentum in libro, quo orationes Demosthenicas in sermonem convertit vernaculum, si non prorsus omitteret, at mutaret [1]). Videamus

---

1) Enuntiatum illud l. l. vol. V p. 142 v. d. his verbis interpretatur:

igitur, quae et quanta sit offendendi causa. Reiskius enim cum veteres grammaticos et interpretes in explicanda antidosi secutus, eam, quae traditur, sententiam non eiiceret, quia fieri potuisse illis verbis significaretur, ut facultates causa diiudicata permutarentur, maxime mihi videtur et iure in eo offendisse, quod ex hoc uno enuntiato oratorem appareret in Phaenippi bonorum possessionem potuisse venire. Iam cum non perspiciatur, qua de causa orator in ea illius paragraphi parte, qua Phaenippum appellat, pronomine secundae personae, nomine vero nonnisi in condicionali enuntiato usus sit, coniicias, non modo in genitivo qui est *Φαινίππου* interpolantis vestigium remanere sed etiam praesenti tempore verbi *ἐῶ* quod est in protasi, suspicionem moveri, quia ad enuntiati condicionalis argumentum futurum tempus, non praesens requiratur. Quae quamvis offensioni esse non negem, sed expuncto illo enuntiato orationis tenorem optime continuari concedam, tamen cum neque intelligatur, qua de causa verba illa orationi sint inserta, neque enuntiatum illud glossematum genus usitatum sapiat, non acquiesco neque Reiskio assentior, sed interpretandi ingredior viam. Ac genitivum *Φαινίππου* pronominis loco personalis cum liqueat non temere neque inconsiderate usurpatum esse, praesens tempus quod est *ἐῶ* restat ut explicetur. Quod tempus qui refutat et reiicit, futurum desiderat et requirit, is a posterioribus, quae quidem se arbitratur percepisse et cognovisse, profectus priora explicat, neque qua debebat diligentia oratoris verba contemplatur, consilium perscrutatur. Quare a praesenti tempore *ἐῶ* profectus verba *ἄν τε τὴν Φαινίππου ἄν τε τὴν ἐμαυτοῦ ἔχω οὐσίαν* interpretabitur, qui non putet, quia de possidendis bonis verba fiant, idcirco bona fuisse permutata. Argumentum autem enuntiati, quod quidem verbi *ἐῶ* tempore continetur atque efficitur, hoc est: orator, quid Phaenippus commiserit, quid struxerit et molitus sit depingens, cur, inquit, Phaenippe, equi-

---

„Ich lasse meine Mutter an meinem Glücke und Unglücke und an allen Veränderungen, die mit meinem Vermögen vorgehen, gleichen Antheil mit mir nehmen.“

dem neque matris dotem inter ea, quae debeo, refero neque iudicicibus impono, sed ut ante passus sum, ita nunc patior matrem facultatum mearum omnium participem esse, quantaecumque sunt sive maiores quam tuae sive minores. Orator igitur de iis rebus, quae erant, non quae evenire possent, locutus Phaenippi facultates, quas permagnas, cum suis, quas tenues descripserat esse, comparavit. Iam vero quid est tam perspicuum, quam oratorem nominis genitivum, quo nihil erat aptius, nihil accommodatius ad hominem locupletem ac divitem significandum, consilio et artificio quodam dicere maluisse?

Quibus explicatis enuntiatis cum nihil ex hac oratione invenerim, ex quo bona propter antidosin permutata esse contra Dittenbergerum iure colligeretur, Leptineae § 40 consideremus haec verba: *καὶ μὴν οὐδ' ὅπως οὐκ ἀντιδώσει τῷ Λεύκωνί τις, ἂν βούληται, δύναμαι σκοπούμενος εὑρεῖν. χρήματα μὲν γάρ ἐστιν ἀεὶ παρ' ὑμῖν αὐτοῦ, κατὰ δὲ τὸν νόμον τοῦτον, ἐάν τις ἐπ' αὐτὰ ἔλθῃ, ἢ στερήσεται τούτων ἢ λειτουργεῖν ἀναγκασθήσεται.* Leucon igitur, quin aut facultatibus privaretur aut munus obire cogeretur, provocari non potuit; quod cum ambiguum non sit, quomodo et qua de causa fieri potuerit quaeritur. Nam qui putant bonis permutatis Leuconem multa dando amissurum, pauca accepturum fuisse, eos recte non interpretari verba *ἢ στερήσεται τούτων* facile est intellectu. Immo etiamsi concedendum sit verba illa nobis quidem nimis obscura esse, iudicibus autem Atheniensibus, qui, quid cuique propter antidosin posset accidere, non ignorabant, fuisse satis dilucida ac perspicua, coniecturam tamen facere licet, qua quae operta videantur aperiantur. Duplici enim ratione Leucon, etsi bona non permutaret, ut facultates amitteret fieri potuit; nimirum si munerum immunitate, quam dono ab Atheniensibus acceperat, privatus et provocatus munere fungi noluit, cum provocante pacisceretur eique pecuniam solveret oportuit, aut si iudicio condemnatus, quominus munus obiret, recusavit, bona sua amisit publicata. Itaque haec quoque oratio, qui contra Dittenbergerum de antidosi iudicant, non adiuvat. Paul-

lisper autem Demosthenem mittamus, ut duas Lysiae orationes, quarum aliquot enuntiata veterum interpretum sententiam confirmare putabantur, inspiciamus.

Ac primum quidem or. XXIV § 9 inquiramus in haec enuntiata: *δοκεῖ δέ μοι τῆς πενίας τῆς ἐμῆς τὸ μέγεθος ὁ κατήγορος ἂν ἐπιδεῖξαι σαφέστατα μόνος ἀνθρώπων. εἰ γὰρ ἐγὼ κατασταθεὶς χορηγὸς τραγῳδοῖς προκαλεσαίμην αὐτὸν εἰς ἀντίδοσιν*[1]), *δεκάκις ἂν ἕλοιτο χορηγῆσαι μᾶλλον ἢ ἀντιδοῦναι ἅπαξ.* Quae verba Frohbergerus est ita interpretatus, ut eum Boeckhio de antidosi assentiri appareat, Dittenbergeri autem rationum, quas l. l. p. 11 protulit, altera probabilis est, altera non item[2]). Suo enim iure vir ille doctus e verbis ipsis intelligi negat, utrum facultates permutare, an munus obire vellet optionem causa diiudicata provocato esse datam; illud vero non ausim contendere, quia antidosis illa nonnisi ad describendam litigantium facultatum discrepantiam adhibita sit, idcirco oratorem parum accurate et diligenter verborum delectum habuisse atque illi enuntiato fidem esse habendam minorem. Quid? licuitne oratori institutum quicumque voluit commutare et tamquam accommodare ad suam voluntatem eaque comminisci ac proferre apud iudices, quae neque ullus umquam homo Atheniensis neque, nisi institutum ipsum perverse esset ex-

---

1) Verba quae sunt προκαλεσαίμην αὐτὸν εἰς ἀντίδοσιν comparem cum illis quae supra p. 8 e Xenophontis oeconomico laudata genitivos τριηραρχίας ἢ χορηγίας adiectos ostendunt.

2) Dittenbergeri verba haec sunt: „Die Stelle Lys. XXIV 9, welche allerdings auf einen Tausch im eigentlichen Sinne hinzuweisen scheint, hat schon deshalb nicht viel Beweiskraft, weil es sich hier gar nicht um einen wirklichen Fall handelt, sondern die Antidosis nur verwendet wird, um in einer rhetorischen Wendung den grossen Unterschied des Vermögens zu illustriren. Dass dieser rhetorische Zweck hier sogar auf Kosten der klaren und sachgemässen Darstellung verfolgt wird, zeigt auf jeden Fall das um des Gegensatzes zu δεκάκις willen hinzugefügte, aber ganz unsinnige ἅπαξ. Uebrigens kann die ganze Stelle ihrem Wortlaute nach nicht einmal ohne Zwang auf eine erst nach dem Richterspruch erfolgende Wahl zwischen Leistung und Tausch bezogen werden.“

plicatum et descriptum, interpretes percepissent? Quoniam autem Frohbergeri illud artificium rhetoricum locum non explanat, adverbium quoque quod est *ἅπαξ* ut interpretemur, si verbo *ἀντιδιδόναι* permutandi vim subesse arbitremur, fieri non potest. Relinquitur igitur, ut verbo *ἀντιδιδόναι* illud, quod supra proposuimus, significari ponamus et hoc posito rectene an falso illud proposuerimus videamus. Atque argumentum enuntiati efficitur hoc: si petitor provocatus munus ad provocantem referre maluit quam obire, i. e. si et ipse *ἀντιδιδόναι* voluit, inde quod inventarium conscribendum et causa apud iudices agenda erat, quantae utriusque essent facultates cognoscebatur, atque petitor in multo maiorum possessione facultatum et in meliore condicione esse reperiebatur; quae effecta provocans voluit. Neque enim ut permutarentur facultates, sed ut cognoscerentur, oratorem munere ad adversarium delato efficere voluisse e verbis et ineuntis et exeuntis [1]) paragraphi plane intelligitur. Quod si, quid orator senserit atque dixerit, intellexi et accurate explicui, in illis quidem enuntiatis nihil est, in quo offendamus, quod de sententia me mea demoveat; de hac igitur oratione satis dictum est. Sequitur, ut in orationis IV ineuntis inquiramus verba, quae in codice Palatino ita traduntur: *Θαυμαστόν γε, ὦ βουλή, τὸ διαμάχεσθαι περὶ τούτου, ὡς οὐκ ἐγένοντο ἡμῖν περὶ τούτου διαλλαγαί, καὶ τὸ μὲν ζεῦγος καὶ τὰ ἀνδράποδα, καὶ ὅσα ἐξ ἀγροῦ κατὰ τὴν ἀντίδοσιν ἔλαβον, μὴ ἂν δύνασθαι ἀρνηθῆναι, ὡς οὐκ ἀπέδωκε, φανερῶς δὲ περὶ πάντων διαλελυμένον ἀρνεῖσθαι τὰ περὶ τῆς ἀνθρώπου μὴ κοινῇ ἡμᾶς χρῆσθαι συγχωρῆσαι. καὶ τὴν μὲν ἀντίδοσιν δι' ἐκείνην φανερός ἐστι ποιησάμενος, τὴν δ' αἰτίαν δι' ἣν ἀπέδωκεν ἢ ἔλαβεν οὐκ ἂν ἄλλην ἔχοι εἰπεῖν (βουλόμενος τἀληθῆ λέγειν) ἢ ὅτι οἱ φίλοι περὶ πάντων ἡμᾶς τούτων συνήλλαξαν.* Quae cum verba corrupta esse nemo non videat, antequam de sententia disseramus, verba sunt ipsius oratoris

---

1) § 9 extr. verborum in codice corruptorum sententiam Frohbergerus recte mihi videtur percepisse ita scribens: εἰ δὲ ὧν ἐγὼ λέγω τύχοι τι γενόμενον ὁμολογεῖν ἂν τοιοῦτον εἶναί με καὶ ἔτι πονηρότερον.

investiganda. Ac verba quidem *περὶ τούτου*, quae priore loco et apta sunt et necessaria, in posteriore librarii negligentia posita esse, pridem cognitum omnibusque editoribus probatum est, de corrigendo autem mendo, quod aut in verbo *ἔλαβον* aut in insequenti *ἀπέδωκε* inest, certatum aliudque alii aptissimum et optimum visum est. Quem locum saepissime temptatum et tractatum, qui medicinam ei afferendam esse primus intellexit, is sanavit; Scaligerum enim utriusque verbi personam tertiam scriptam voluisse Taylorus tradit; quas formas omnes receperunt editores, postquam Bekkerum inepte prioris verbi tertiam et primam posterioris proposuisse Foertschius observ. crit. in Lys. or. p. 77 [1]) demonstravit et quod Scaliger coniecit contra Reiskium optime defendit. Deinde praepositionem quae est *διά* § 2 init. ante pronomen *ἐκείνην* expungendam esse Hamakerus primus quaestt. de nonn. Lys. oratt. p. 6 contendit, tum Dittenbergerus l. l. p. 10 adn. rationibus certissimis atque illustrissimis confirmavit. Ex iis igitur verbis, quae, quamquam acrem virorum doctorum curam et diligentiam etiamnunc desiderare mihi videntur, a Scheibio in alteram orationum Lysiacarum editionem recepta sunt, singula concludamus.

Atque Dittenbergerus hanc antidosin l. l. his descripsit verbis: „Der Sprecher sagt nur, dass der Gegner ihm Alles, was er bei der Antidosis von ihm erhalten hatte, in Folge eines von den beiderseitigen Freunden gestifteten Vergleiches zurückgegeben habe. Da es aber in der Natur der Sache liegt, dass ein solcher Vergleich vor Entscheidung des Prozesses stattfindet, so haben wir uns hier unter Antidosis eben nichts Anderes zu denken, als das, was sonst überall darunter zu verstehen ist, die gegenseitige Beschlagnahme der Güter vor dem Beginn des Prozesses.“ Quae sententia mihi scrupulum iniicit non mediocrem. Quamvis enim ambiguum non sit, quin petitor pactione amicorum opera facta oratori bona propter anti-

---

1) Rationibus quas Foertschius attulit hanc addam: librarius priorem formam scribens multo facilius errare potuit, quam priore lecta et scripta posteriorem depravare.

dosin accepta reddiderit, tamen e Dittenbergeri quidem verbis, quemadmodum factum sit, non apparet, ut petitor in oratoris facultatum possessionem *κατὰ τὴν ἀντίδοσιν* veniret. Quibus rebus ne quis adducatur timeo, ut cum Frohbergero bona permutata esse opinetur, quamcunque voci quae est *ἀντίδοσις* vim subiectam esse iudicat. Itaque eam ingrediamur viam, qua ab enuntiatorum argumento ad definiendam vocem perveniamus. Ac primum quidem quaeritur, uter alterum provocaverit, quam rem nimis timide [1]) Hamakerus l. l. p. 5 in incerto reliquit; atqui reum a petitore provocatum esse e verbis § 2 init. *καὶ τὴν μὲν ἀντίδοσιν ἐκείνην φανερός ἐστι ποιησάμενος* apparet. Deinde choregiae munus a petitore ad reum delatum esse, sunt, qui ex § 3 concluserint, qua de re in deperdito orationis initio opinor oratorem verba fecisse; tum ex eadem paragrapho oratorem munus obiisse efficitur. Docet igitur orator nos haec: pactionem aliquando amicorum opera factam esse, reum a petitore provocatum choregiae munus obiisse. Restat, ut, qua de causa provocanti a provocato, quae enumerantur bona, data sint, reperiatur; atque ita ratiocinandum censeo. Iumentum, servos, fruges cum reus dicat a petitore esse reddita, apparet in adversarii rerum possessione provocantem fuisse earumque non omnium, quia neque omnes enumerantur et verbis *ὅσα ἐξ ἀγροῦ ἔλαβε* ne fruges quidem omnes a provocato provocanti traditas esse ostenditur [2]). Quod si res ita sese habuit, verbo *ἔλαβεν* potiendi vis non subest [3]); Blassius autem ab utroque res acceptas et redditas esse ratus oratoris verba in libro qui

1) Nimis timidum fuisse Hamakerum dixi, quippe quem etsi Boeckhio de antidosi assensum non item voce ἀντίδοσις sola, ut mediali quae est ποιησάμενος forma cognoscere oporteret, uter provocavisset.

2) Si quis ab oratore bona petitori data esse omnia contendat et nonnulla verba excidisse orationemque post verbum ἔλαβε hiare, non modo non cognoverit idcirco illas res ab oratore enumeratas esse, quia omnes non essent traditae, verum etiam, quod contendit, argumentis satis firmis non demonstraverit.

3) Verbo quod est λαβεῖν illud significari non concederemus, etsi quod Dittenbergerus l. l. p. 8 proposuit probantes id fuisse quasi negotium statueremus, quod bona perspicerentur, aedes obsignarentur, inven-

inscribitur „Geschichte der griechischen Beredtsamkeit von Gorgias bis Lysias“ p. 590 perperam explicuit. Itaque de munere et antidosi, ut brevi comprehendam, haec statuenda videntur: petitorem choregiae munere ad reum delato quae accepisset bona cum adversario in gratiam ab amicis reductum reddidisse, reum munere functum esse. Relinquitur ergo, ut, cum petitor reum provocavisset, constitutum sit, ut provocans provocati bonis quibusdam acceptis munus obiret. Itaque provocato, qui quamquam se causa apud iudices acta damnatum iri intellexit, invitus tamen res illas amisit, non solum propter servam, sed etiam propter antidosin inimicitiae cum provocante intercesserunt. Amicorum autem opera in gratiam reconciliati iterum inter se constituerunt, provocatus ut sua recuperaret et, cum ditior esset provocante, munere fungeretur, provocans ne impediret, quominus qua empta esset condicione serva possideretur. Aedes vero utriusque occlusas esse et obsignatas e verbis oratoris neque concludi potest neque coniici; omnia enim demonstrasse mihi videor acta et facta esse, non quia ad suum uterque arbitrium bonis non uteretur, sed quia munus ab altero, cui a magistratu imperatum erat, ad alterum esset delatum. Iure igitur Dittenbergerus grammaticorum veterumque interpretum de antidosi sententiam explosit atque eiecit, iure nos, quam quidem v. d. voluit, eam vim voci *ἀντίδοσις* subiectam non esse contendimus et quae subiecta sit ostendimus.

Restat id, quod maximum est, ut de Demosthenis trierarchia et de antidosi, qua munus illud obire cogebatur, fusius disseratur. Ne vero sint, qui me in trierarchiam illam primam, non in antidosin solam inquisiturum a proposito aberrare arbitrentur, praemoneo fieri non posse, ut duae res, quae quodammodo coagmentatae sint et conglutinatae, dissolvantur et divellantur atque ut, cum alterum clare et perspicue exponendum sit, alterum negligatur; antidosis enim nisi principium

---

taria conscriberentur et alteri ab altero traderentur; quod quasi negotium omnia, non mobilia modo bona oportebat amplecti.

atque exitus eaque, quae a provocante et provocato acta sunt, inventa erunt, non poterit, quid ipsa significet qualisque fuerit, cognosci ac percipi. Rem igitur eandem, in quam Dittenbergerus multo accuratius et subtilius ille quidem, quam ceteri interpretes, inquisivit, nequaquam autem, cum quae in Midiana traduntur fere nunquam adhibuerit, tam penitus tamque plane, nullum ut interpretationi reliquerit locum, retractabo. Itaque cum verba non magis orationis XXVIII § 17 quam Midianae § 78, 79, 80 tractanda et explicanda esse mihi persuaserim, utriusque orationis verba conferam et, quid ex § 154 sumi possit, quaeram. Sed ut ad propositum veniamus, cum Dittenbergerus or. XXVIII § 17 enuntiata subtilissime l. l. p. 13 perspexerit in tres dividi posse partes, quarum orator prima, quemadmodum Thrasylochus munus ad ipsum detulisset doceret, altera quo consilio quoque modo ipse munus ad provocantem retulisset, tertia quid fuisset, cur munus obiret, intellectu est proclive in totidem partes Midianae illas paragraphos dividi, ut eadem harum quae illarum sint argumenta. Quare, ut quae singularum sint partium verba designem et constituam, prima pars orationis XXVIII his continetur verbis:

ὡς γὰρ τὰς δίκας ταύτας ἔμελλον εἰςιέναι κατ᾽ αὐτῶν, ἀντίδοσιν ἐπ᾽ ἐμὲ παρεσκεύασαν, ἵν᾽ εἰ μὲν ἀντιδοίην, μὴ ἐξείη μοι πρὸς αὐτοὺς ἀντιδικεῖν ὡς καὶ τῶν δικῶν τούτων τοῦ ἀντιδόντος γιγνομένων, εἰ δὲ μηδὲν τούτων ποιοίην, ἵν᾽ ἐκ βραχείας οὐσίας λειτουργῶν παντάπασιν ἀναιρεθείην. καὶ τοῦτ᾽ αὐτοῖς ὑπηρέτησε Θρασύλοχος ὁ ᾽Αναγυράσιος·

Midianae autem his:

§ 78. *ἡνίκα τὰς δίκας ἔλαχον τῶν πατρῴων τοῖς ἐπιτρόποις, μειρακύλλιον ὢν κομιδῇ καὶ τοῦτον οὐδ᾽ εἰ γέγονεν εἰδὼς οὐδὲ γιγνώσκων, ὡς μηδὲ νῦν ὤφελον, τότε μοι μελλουσῶν εἰσιέναι τῶν δικῶν ὡς εἰς ἡμέραν ὡςπερεὶ τετάρτην ἢ πέμπτην εἰςεπέδησαν ἀδελφὸς ὁ τούτου καὶ οὗτος εἰς τὴν οἰκίαν ἀντιδιδόντες τριηραρχίαν. τοὔνομα μὲν δὴ παρέσχεν ἐκεῖνος καὶ ἦν ὁ ἀντιδιδοὺς Θρασύλοχος· τὰ δ᾽ ἔργα παντ᾽ ἦν καὶ τὰ πραττόμενα ὑπὸ τούτου.*

Deinde ad alteram partem orationis XXVIII haec verba pertinent:

ᾧ τούτων οὐδὲν ἐνθυμηθεὶς ἀντέδωκα μέν, ἀπέκλεισα δὲ ὡς διαδικασίας τευξόμενος·

et Midianae haec:

§ 79. καὶ πρῶτον μὲν κατέσχισαν τὰς θύρας τῶν οἰκημάτων, ὡς αὐτῶν ἤδη γιγνομένας κατὰ τὴν ἀντίδοσιν· εἶτα τῆς ἀδελφῆς ἔτ' ἔνδον οὔσης τότε καὶ παιδὸς οὔσης κόρης ἐναντίον ἐφθέγγοντο αἰσχρὰ καὶ τοιαῦτα οἷ' ἂν ἄνθρωποι τοιοῦτοι φθέγξαιντο (οὐ γὰρ ἔγωγε προαχθείην ἂν εἰπεῖν πρὸς ὑμᾶς τῶν τότε ῥηθέντων οὐδέν), καὶ τὴν μητέρα καὶ ἐμὲ καὶ πάντας ἡμᾶς ῥητὰ καὶ ἄρρητα κακὰ ἐξεῖπον. ὃ δ' οὖν δεινότατον καὶ οὐ λόγος ἀλλ' ἔργον ἤδη· τὰς δίκας ὡς αὐτῶν οὔσας ἠφίεσαν τοῖς ἐπιτρόποις. § 80. καὶ ταῦτ' ἐστὶ μὲν παλαιὰ ὅμως δέ τινας ὑμῶν μνημονεύειν οἶμαι· ὅλη γὰρ ἡ πόλις τὴν ἀντίδοσιν καὶ τὴν ἐπιβουλὴν τότε ταύτην καὶ τὴν ἀσέλγειαν ᾔσθετο.

postremo tertia pars orationis XXVIII continetur his verbis:

οὐ τυχὼν δὲ ταύτης, τῶν χρόνων ὑπογύων ὄντων, ἵνα μὴ στερηθῶ τῶν δικῶν, ἀπέτισα τὴν λειτουργίαν ὑποθεὶς τὴν οἰκίαν καὶ τἀμαυτοῦ πάντα, βουλόμενος εἰς ὑμᾶς εἰσελθεῖν τὰς πρὸς τουτουσὶ δίκας

et Midianae his:

κἀγὼ τότε παντάπασιν ἔρημος ὢν καὶ νέος κομιδῇ, ἵνα τῶν παρὰ τοῖς ἐπιτρόποις ἀποστερηθείην οὐχ ὅσα ἐδυνήθην ἀνακομίσασθαι προσδοκῶν εἰσπράξειν, ἀλλ' ὅσων ἐμαυτῷ συνῄδειν ἀπεστερημένῳ, δίδωμι εἴκοσι μνᾶς τούτοις ὅσου τὴν τριηραρχίαν ἦσαν μεμισθωκότες.

Quibus enuntiatis § 154 sq. haec verba addenda sunt:

κἀγὼ μὲν κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους ἐτριηράρχουν εὐθὺς ἐκ παίδων ἐξελθών, ὅτε σύνδυο ἦμεν οἱ τριήραρχοι καὶ τἀναλώματα πάντα ἐκ τῶν ἰδίων ἐδαπανῶμεν καὶ τὰς ναῦς ἐπληρούμεθ' αὐτοί. § 155. οὗτος δὲ ὅτι μὲν κατὰ ταύτην τὴν ἡλικίαν ἦν, ἣν ἐγὼ νῦν, οὐδέπω λειτουργεῖν ἤρχετο, τηνικαῦτα δὲ τοῦ πράγματος ἧπται, ὅτι πρῶτον μὲν διακοσίους καὶ χιλίους πεποιήκατε συντελεῖς ὑμεῖς, παρ' ὧν εἰςπραττόμενοι τάλαντον ταλάντου μισθοῦσι τὰς τριηραρχίας οὗτοι, εἶτα πληρώματα ἡ πόλις παρέχει καὶ σκεύη δίδωσιν, ὥστ'

αὐτῶν ἐνίοις τῇ ἀληθείᾳ τὸ μηδὲν ἀναλῶσαι καὶ δοκεῖν λελειτουργηκέναι καὶ τῶν ἄλλων λειτουργιῶν ἀτελεῖς γεγενῆσθαι περίεστιν.

Prima illa parte, quae orationis XXVIII verbis continetur, Demosthenes narrat tutores, cum Thrasylochum Anagyrasium commoverent, ut paucis diebus antequam causa de tutela peroraretur ac diiudicaretur trierarchiae munus ad ipsum deferret, id egisse, ut provocatus in summas angustias adduceretur propterea, quod neque causam cum tutoribus agere posset, si munus ad provocantem retulisset et controversiam cum Thrasylocho de munere haberet, et quod pauca, quae de patrimonio accepisset, amissurus esset, si munus obiisset. In Midiana autem si non contraria, at diversa narrantur, auctore Midia fratre, cum Demosthenes contendat, Thrasylochum ad munus obeundum se die quarto aut quinto ante diem iudicio constitutam provocasse. Cuius loci viam explicandi Dittenbergerus praemunivit, qui cum exposuerit, quid in utraque oratione de antidosi proferretur, viros dd. l. l. p. 14 refutavit, qui Demosthenem timuisse e verbis *ὡς καὶ τῶν δικῶν τούτων τοῦ ἀντιδόντος γιγνομένων* collegerant, ne, quae ipsi deberentur, bonis permutatis provocans acciperet. Etiamsi enim de voce *ἀντίδοσις* grammaticis veteribus assentiremur, tamen illam sententiam improbandam esse docuit. Nam Demosthenem, ne patrimonio spoliaretur, timuisse, quia neque sperare posset fore, ut brevi quinque dierum spatio, quo inventaria vix conscriberentur et alteri ab altero traderentur, causa de antidosi diiudicaretur, et quia ut aedes ita facultates omnes eaque quae uterque litigans deberet et quae utrique deberentur quasi obsignarentur, de re autem obsignata ambigere non liceret nisi cum eo, qui eam obsignasset. Cum vero orator sibi non constiterit et alium alibi eiusdem rei auctorem nominaverit, discrepantia illa, quoniam oratoris verba, non scriptoris tractanda sunt, dubito num removeri possit. In utraque enim oratione, cum Demosthenes verisimilia narret, aut alterutrius verba ficta sunt aut neutrius vera; quare Dittenbergerus aut utrique eandem aut neutri ullam fidem habere debebat. An dubitamus, quin

in utraque oratione orator suo ipsius commodo serviverit, quin eodem modo contenderit et elaboraverit, cum de tutela ageret, ut tutores quam nequissimos et improbissimos esse homines iudicibus persuaderet atque cum Midianam componeret, ut tot et tanta doceret Midiam facinora in se commisisse, nullam ut unquam calumniandi, nullam insidiandi occasionem amitteret? Itaque nullus neque Graecorum neque Romanorum neque ullius populi orator cum apud iudices tam veritatis diligentem tamque timidum se praebuerit, ut crimina quam gravissima in adversarium non inferret, in incerto est relinquendum, quis antidosis fuerit auctor [1]). Haec hactenus; de altera illa parte dicemus neque ita multo post, sed pauca de plurali numero, qui in utraque oratione nobis occurrit *δίκαι* et de verbis *τὰ δ' ἔργα πάντ' ἦν καὶ τὰ πραττόμενα ὑπὸ τούτου* ante dicenda sunt. Illius enim vocis numerus pluralis, dubium non est, quin in oratione XXVIII adhibendus fuerit, quoniam Demosthenes lege cum Aphobo agens omnes tutores postulaverat neque cum illo solo se sciebat acturum, cum Demophonte et Therippide pacturum esse [2]). In eo autem potest offendi, quod Demosthenes, quamquam cum Aphobo solo causam egerat, in Midiana quoque plurali numero usus est. Atqui optime cum enuntiatorum argumentis pluralis concinit in verbis *ἡνίκα τὰς δίκας ἔλαχον*

---

1) Rationem ostendam, qua quis usus illam discrepantiam tollere studeat; Midiae enim nomen in oratione XXVIII nunquam memoratur; causa de tutela acta in Midiana bis ad tempus, quo ad oratorem trierarchiae munus deferebatur, definiendum tangitur; e verbis quae sunt τὰς δίκας ἠφίεσαν τοῖς ἐπιτρόποις apparet Midiam et Thrasylochum provocati facultatem perspicientes sese impedituros dixisse, quominus Demosthenes patrimonium a tutoribus acciperet; unde concludi potest Midiam et antidosis auctorem fuisse et, quo maius Demostheni afferretur incommodum et detrimentum, ad tutorum calumniam adiutorem se professum effecisse, ut Demosthenes munus obiret, oratorem vero, cum paucis diebus post munus ad se delatum veteratorum calumniam et nimis callidam et malitiosam non cognovisset, Midiae in oratione XXVIII mentionem non fecisse.

2) Non repugnare illi sententiae or. XXVII § 12 verba, quae sunt: ἃ μὲν οὖν Δημοφῶν ἢ Θηριππίδης ἔχουσι τῶν ἐμῶν τότ' ἐξαρκέσει περὶ αὐτῶν εἰπεῖν, ὅταν κατ' αὐτῶν τὰς γραφὰς ἀπενέγκωμεν Schaeferus in libro, quem scripsit de Demosthene eiusque aetate, p. 260 demonstravit.

et *μελλουσῶν εἰσιέναι τῶν δικῶν*, quibus definitur, quo tempore tutoribus singulis singillatim accusatis magistratus in causas inquisiverit iudicesque dederit. Et complures causae, cum Midias et Thrasylochus prohibere potuerint et voluerint, ne apud iudices agerentur, non est, cur numerus pluralis in verbis *τὰς δίκας ἠφίεσαν τοῖς ἐπιτρόποις* sententiae non sit accommodatus. Sed ut plurali in illis enuntiatis, ita singulari Demosthenes, ubi causam cum Aphobo solo actam dicebat, utebatur; e. gr. or. XXX § 17 haec leguntur: *ὕστερον δ' ᾖ ἐγὼ τὴν δίκην ἔλαχον τὴν ἀπόλειψιν οὗτοι πρὸς τὸν ἄρχοντ' ἀπεγράψαντο.* Deinceps, ut erat propositum, quaeramus, utrum verbis, quae sunt: *τὰ δ' ἔργα πάντ' ἦν καὶ τὰ πραττόμενα ὑπὸ τούτου*, Midia auctore significetur factam esse antidosin solam, an quidquid nefarie et flagitiose in oratorem in eiusque matrem et sororem commissum § 79 Midianae narretur [1]). Illud Dittenbergerus contendit, hoc equidem rationibus defendam. Cum enim orator, quomodo fratres illi ipsius domi se gessissent, depingens et utrumque, non alterum dicens pluralem ubique poneret, Dittenbergerus id solum l. l. p. 13 sq. adn. conclusit illo enuntiato ostendi, quis antidosis princeps et auctor fuisset. Quod argumentum quam sit leve, intellectu facile est, quoniam orator in antecedenti quoque enuntiato plurali usus est, qui numerus non tam in verbo *εἰςεπήδησαν*, quam in participio *ἀντιδιδόντες* admirationem movet. Non autem, quia numerus pluralis et illarum vocum et § 80 in verbis quae sunt *ὅσον τὴν τριηραρχίαν ἦσαν μεμισθωκότες* nobis occurrit, idcirco Thrasylocho et Midiae triremis exornanda sumptusque aequabiliter utrique tolerandi fuerunt. (cf. Boeckhius l. l. I, 715 adn.) Midiam vero in iniuriis a se Demostheni illatis non solum non acquievisse, sed etiam fratri persuasisse, ut et dolose et malitiose oratorem induceret et deciperet, ex eo apparet, quod solus a Demosthene iniuriarum postulatus sit. Sed, ne in rebus

---

1) Reiskius enuntiatum illud l. l. vol. III p. 167 ita reddidit: „Alles kam von ihm, Alles ging durch ihn, nicht nur die Anschläge, sondern auch die Thätlichkeiten, die gar arg waren."

minutis et levibus multi simus, revertamur ad propositum et ad alterius partis enuntiata aggrediamur.

Qua in parte quamvis prorsus dissimilia et diversa proponantur, cum multum illae causae inter se distent longeque sint seiunctae, tamen non modo, quae inter se pugnant, non proferuntur, verum etiam, quae proferuntur, quoniam inter se congruunt, optime possunt comparari et explicari. In oratione enim XXVIII orator se munus ad se delatum obire noluisse dicit et domum occlusisse, ut diadicasiam nescio quam nancisceretur, in Midiana vero postquam se narravit provocatum esse, quid ipse provocanti respondisset, non commemorat, sed, quas ipsi, matri, sorori Thrasylochus et Midias intulissent iniurias depingit; nihil ergo in hac oratione inest, quod voci illi in or. XXVIII *ἀντέδωκα* respondeat. Qua de causa Dittenbergerus oratorem rem ita proponere et persequi studuisse l. l. p. 23 adn. conclusit, ut iudices ipsum arbitrarentur munus ad provocantem non retulisse, sed provocatum obiisse; quam sententiam comprobarem, nisi Midiana apud iudices Athenienses habenda fuisset, qui quamvis neque § 79 sq. neque § 154 docerentur Demosthenem illud *ἀντιδιδόναι* dixisse aut fecisse, inde intellexerunt, quod facultates provocati perspectae essent, oratorem, quominus munere fungeretur, recusasse. Quamquam Demosthenes orationem, imprimis § 154 ita formavit, ut ipse quam benevolentissimus et liberalissimus, Midias quam impudentissimus et improbissimus videretur. Sequitur, ut, quae verbis *τούτων οὐδὲν ἐνθυμηθείς* et *ἀπέκλεισα δὲ ὡς διαδικασίας τευξόμενος* interpretandi difficultates afferantur, tollantur; placet autem a voce quae est *ἀπέκλεισα* proficisci. Atque Dittenbergerus cum Boeckhium, qui Vollbrechti refutata sententia verbo *ἀπέκλεισα* oratorem de facultatibus patrimonium excepisse significari censuit, refellat iure monens illam vim voci nusquam apud ullum antiquorum temporum scriptorem subiectam inveniri, tum Ernestum Curtium secutus verbo significari contendit oratorem, ne bona a provocante perspicerentur, aedesque obsignarentur, aedificia occlusisse [1]). Quam senten-

1) Ubicunque verbum ἀποκλείειν usurpatur, aut nomen aut enuntia-

tiam Midianae verba *κατέσχισαν τὰς θύρας τῶν οἰκήματων* confirmant. Iam, quid fuerit, quaeritur, cur Demosthenes, ut a provocante bona perspicerentur, non permitteret legemque negligeret, quae quid iuberetur, minime ignoraret. Quod cum et ab oratore, ne legem se confiteretur violasse, silentio praetermissum sit neque a nobis coniectura verisimili indagari possit, relinquitur, ut id, quod ne magni quidem est momenti, in incerto relinquatur. Sed de voce quae est *ἀπέκλεισα* satis est dictum, inquirendum nunc est in verba, quae sunt *ὡς διαδικασίας τευξόμενος*, quae recte Dittenbergerum explicuisse nego. Vir enim ille d. diadicasiam dictam esse sumpsit eam litem, quae oratori cum provocante de antidosi agenda fuisset; quare enuntiatum illud in sermonem vernaculum l. l. p. 22 ita convertit: „Ich ging, jedoch nicht ohne vorher mein Haus verschlossen zu haben, auf den Tausch ein, in der Erwartung, noch zur rechten Zeit die Diadikasie zu erlangen.“ Quod in dubium mihi venit; ac primum quidem, quod oratori articulus ad vocem *διαδικασίας* addendus fuit, si eandem illam, quam Dittenbergerus, actionem dicturus fuisset, deinde quod, quo iure nescio neque reperio a v. d. verba quae sunt „zur rechten Zeit“ adiecta sint, quae eiusmodi non sunt, ut addenda ea esse ex enuntiati argumento appareat. Tum vir ille doctus quoniam verba *τούτων οὐδὲν ἐνθυμηθείς* l. l. p. 24 ita reddidit: „und er (Demosthenes) dachte noch nicht an einen Zusammenhang dieser Sache mit dem Vormundschaftsprozess“, secum ipso pugnat. Neque enim, si antidosin obstare Demosthenes ne opinatus quidem est, quominus die constituta causam de tutela peroraret, intelligitur, cur diadicasiam de antidosi ante

---

tum relativum, quo, quae res occludatur, significatur, adiectum est; in promptu mihi sunt haec, quae in Xenophontis commentariis II, 1, 16 leguntur: κλέπτειν δὲ κωλύουσιν ἀποκλείοντες, ὅθεν ἄν τι λαβεῖν ᾖ. Quare cum orationem hiare opinari non ausim, oratori verbo absoluto uti licuisse puto, quod, quae facta essent, iudices fando audivissent et brevi temporis spatio inter antidosin et actionem illam interiecto meminissent, cf. Mid. § 80 haec verba: ὅλη γὰρ ἡ πόλις τὴν ἀντίδοσιν καὶ τὴν ἐπιβουλὴν τότε ταύτην καὶ τὴν ἀσέλγειαν ᾔσθετο.

componi voluerit, quam cum tutoribus ageret. Tum qui Midianae verbis *τὰς δίκας ἠφίεσαν τοῖς ἐπιτρόποις* fidem habeant, negabunt oratorem tum demum, cum magistratus diem de munere agendi non daret, adversariorum artes et astutias cognovisse et perspexisse. Postremo Demosthenes quamvis admodum iuvenis neque versatus in negotiis forensibus neque versutus tribus aut quatuor diebus, quae opus essent, ut heliastarum iudicium daretur, perfici posse, non speravit. Quocirca cum diadicasia illa ad antidosin non pertineat, relinquitur, ut ob eam ipsam causam, quod lege neglecta Demosthenes, quominus facultates perspicerentur, prohibere vellet, ad diadicasiam ventum sit; quam diadicasiam celerrime facillimeque componi potuisse, non magis est consentaneum, quam strategos se de ea re iudicium laturos praecise negasse verisimilius. Verba igitur *τούτων οὐδὲν ἐνθυμηθείς* cum voce *ἀντέδωκα* sola coniungenda significant Demosthenem, quia Thrasylochum cum tutoribus consentire nesciret, munus ad provocantem retulisse; utraque autem particula et *μέν* et *δέ* ad enuntiati illius sententiam optime quadrat. Sed haec hactenus; restant nonnulla Midianae enuntiata, e quibus fieri potuisse conclusum est, ut facultates permutarentur. Atque verba *ὡς αὐτῶν ἤδη γιγνομένας* (scil. *τὰς θύρας*) *κατὰ τὴν ἀντίδοσιν* cum demonstrent oratoris bona neque facta esse neque unquam fieri potuisse provocantis, nisi si ex pacto et convento traderentur, tum ad vocem quae est *ἀντίδοσις* explicandam adhiberi possunt. Quia enim aedes, cum Midias et Thrasylochus provocati facultatum perspiciendarum causa fores diffinderent, nondum obsignatae erant, nomine quod est *ἀντίδοσις* munus delatum esse et relatum, non tamen bona perspecta aedesque obsignatas ostenditur. Deinceps contemplanda verba sunt § 79 extr. *τὰς δίκας ὡς αὐτῶν οὔσας ἠφίεσαν τοῖς ἐπιτρόποις*, quorum si et participium *οὔσας* et imperfectum tempus *ἠφίεσαν* recte interpretabimur; neque permutatas esse facultates neque provocantem in provocati facultatum possessionem venisse intelligemus. Verbum enim *εἶναι* a verbo *γίγνεσθαι* distinguatur velim ac secernatur et imperfectum tempus *ἠφίεσαν* ad legem grammaticam explicetur,

quippe quod provocantem causas tutoribus significet remittere voluisse; quare rectissime ut solet Reiskius illa verba l. l. vol. III p. 167 sic reddidit: „Sie entliessen (soviel nämlich auf sie ankam, oder sie wollten entlassen und drohten mir damit) meine Vormünder der wider sie anhängig gemachten Rechtsklagen." Quod si simulationem quandam e verbis ὡς αὐτῶν οὔσας inveneris, oratorem iure colliges, si propter antidosin ut facultates permutarentur ullo modo fieri potuisset, illis verbis usurum non fuisse. Sed de hac altera parte satis est dictum; ad tertiam, quam satis est tribus verbis tangere, aggredimur.

Orator de antidosi postquam omnia proposuit causas, cur trierarchia functus esset, tres attulit in oratione XXVIII, in Midiana unam, ut quod hic dilatasset, id illic tamquam in verbum contraheret. In oratione enim XXVIII Demosthenes, quanti Thrasylocho triremis ab alio exornata constitisset, tantam se dixit pecuniam solvisse; primum quod diadicasia illa sibi data non esset aut ipse data de ea cecidisset, — utraque enim verbo τυγχάνειν vis potest esse subiecta — deinde quod tempus agendi cum tutoribus institisset, denique quod actionem differre et procrastinare noluisset. Quas causas tres vel duas — si duabus posterioribus effici malis unam — in Midiana orator in unum conclusit et comprehendit enuntiatum, quod est ἵνα μὴ τῶν παρὰ τοῖς ἐπιτρόποις ἀποστερηθείην [1]). Quae quid significent verba, nemo est, qui non intelligat; nam Demosthenes actiones, quas, quod res in eo erat ut de munere ambigeret, contra tutores agere non potuit, producere noluit, ne, quae tanto labore tantaque diligentia quasi fundasset et munisset, ea adversariorum artibus labefactata funditusque eversa videret, neve tutoribus novarum fraudum concipiendarum facultatem faceret. Quod vero orator or. XXVIII uno verbo ἀπέτισα tangit, id in Midiana, ubi viginti minas se

---

1) Quo cum enuntiato verba or. XXVIII ἵνα μὴ στερηθῶ τῶν δικῶν conferri possunt, ubi coniunctivum non temere positum esse ex enuntiati argumento facile intellexeris.

Thrasylocho dedisse dicit, supplet. Quae cum satis clara et perspicua sint, ne fusius ea exponentes molestias exhibeamus, paragraphi 154, de qua Boeckhius l. l. vol. I p. 714 optime disputavit, argumentum adiiciamus. Elaboravit enim orator, ut se Midiae praestare multoque maiore dignum esse laude iudicibus persuaderet, quia tum, cum duo cives trierarchiae munus una obirent neque res publica armamenta suppeditaret et, ut milites remigesque adessent, trierarchi curarent, trierarchia functus esset. Verba igitur *ὅτε σύνδυο ἦμεν τριήραρχοι* verbis § 155 opponuntur his *ὅτε πρῶτον μὲν διακοσίους καὶ χιλίους πεποιήκατε συντελεῖς ὑμεῖς* et verba *τἀναλώματα πάντα ἐκ τῶν ἰδίων ἐδαπανῶμεν καὶ τὰς ναῦς ἐπληρούμεθ' αὐτοί* illis quae sunt *πληρώματα ἡ πόλις παρέχει καὶ σκεύη δίδωσιν* [1]). Num vero Demosthenes eiusque syntrierarchus armamenta de suis omnia paraverint et praebuerint, ex inscriptione intelligetur, quam in appendice tractabo.

Iam ad finem quaestionis pervenimus; qua quae ex orationibus Lysiae et Demosthenis, parvulis illis quidem fontibus sed puris hausi, ut brevi comprehendam, haec sunt [2]): ad nomen, quod est *ἀντίδοσις* a grammaticis interpretibusque veteribus perperam explicatum, vocis *οὐσία* genitivus cogitatione addendus est; deinde sententia a Dittenbergero de lege et instituta *τῶν ἀντιδόσεων* proposita, cum nunquam, quantum scimus, propter antidosin facultates permutatae sint, virorum doctorum omnium sententiae vincuntur.

---

1) Attende locum, in quo orator verba § 14 extr. ἐκ τῶν ἰδίων et αὐτοί collocavit.

2) Sententiam Dittenbergeri, qui antiquissimis temporibus propter antidosin facultates permutatas esse sibi persuasit, in quaestionem et disceptationem non vocavi, quia testes nos deficiunt, ineptiae autem grammaticorum testimonio non sunt. Illud vero non magis est verisimile ac probabile, quam verum ac certum et cum sententia mea congruens, ut quovis tempore voci quae est ἀντίδοσις eadem subiecta fuerit vis. Qua de causa ex or. XLII verbis, quae legis „τῶν ἀντιδόσεων" auctorem esse Solonem testantur, concludo legem antiquissimam neque ab Atheniensibus unquam mutatam esse.

Appendix.

Ex inscriptione[1]), quam me hoc loco tractaturum supra sum pollicitus, Boehneckius in libro, quem scripsit de Demosthene, Lycurgo, Hyperide, vol. I p. 240 sqq. conclusit Demosthenem ao. 4 Ol. 107 trierarchum fuisse. Quam cum argumentationem opinionemque examinatam probari non posse invenerim, refutatis Boehneckii argumentis ostendam, quo anno Demosthenes trierarchia in inscriptione dicta functus sit[2]).

Inscriptionis verba sunt haec:

. . . . . των . . . . . .
ἐν] τῷ δικαστηρί[ῳ
πε]φευγότας καὶ πα . . .
. . . ἐν τῇ στήλῃ . . . .
ἀπέ]δομεν Τριήρη[ς
Σύ]νταξις Τριήραρχ[οι
Ἱέ]ρων Σφήττιος
Φα]νόστρατος Γαργή[ττιος

1) Pittakis inscriptionem illam edidit primus in ephemeride archeologica ai. 1859 no. 3662.

2) Utrum e verbis decreti, quod traditur in vitis decem oratorum (Plutarchus ed. Reiske IX p. 381) Demosthenem ao. 349 triremem reipublicae donasse Boehneckius recte collegerit an secus, nihil ad rem, ex hac autem inscriptione ad adiuvandam et confirmandam illam sententiam nihil sane inveniri potest; Demosthenem autem triremem, cui nomen erat Σύνταξις, reipublicae dono dedisse et una cum Philippide triremem, cuius nomen Εὐτυχής verbis illis Ἀγαθῇ τύχῃ in clipeo incisis simile esset, exornare voluisse qui opinetur, coniecturam parum probabilem fecerit.

Τῶ]ν κρεμαστῶν οὗτ[οι
ἔχ]ουσιν ὑποζώματα
ὑ[πόβλημα, κατάβλημα
π]αραῤῥύματα λευκά,
π]αραρρύματα τρίχινα
σ]χοίνια ἀγκύρεια IIII
ἀ]γκύρας
Τρι]ήρης Θρασεῖα Ἐπιχα-
ρί]δου ἔργον. Τριήραρχ
οι] Ἑξηκεστίδης Κοθω(κίδης)
Π]ολύμνηστος Παιαν(ιεύς)
Τῶν ξυλίνων οὗτοι ἔχου-
σι]ν ταῤῥὸν τῶν δὲ κρε-
μ]αστῶν ὑποζώματα
σχ]οίνια ἀγκύρας
Τρ]ιήρης Εὐτυχής
Λυ]σικλείδου ἔργον
Τρ]ιήραρχοι Φιλιππίδης
Π]αιαν(ιεύς) Δημοσθένης Παιαν(ιεύς)
Τῶν ξ]υλίνων οὗτοι ἔχ[ου-
σιν] . . . . . .

Huius inscriptionis verbis, quae eidem triremi Demosthenem et Philippidem Paeanienses testantur eodem anno praefuisse, comparatis cum Midianae § 208 verbis, quae sunt: *πέπυσμαι τοίνυν καὶ Φιλιππίδην καὶ Μνησαρχίδην καὶ Διότιμον τὸν Εὐωνυμέα καὶ τοιούτους τινὰς πλουσίους καὶ τριηράρχους ἐξαιτήσεσθαι καὶ λιπαρήσειν παρ' ὑμῶν αὐτόν, αὐτοῖς ἀξιοῦντας δοθῆναι τὴν χάριν ταύτην.* Boehneckius sibi persuasit Philippidem ao. 349 trierarchia functum esse et ab oratore, ut eiusdem navis trierarchus fieret, petivisse, Demosthenem vero, ut magnis reipublicae impendentibus periculis placatum sese ac bonum civem praestaret, annuisse. Quod mirum in modum conclusum atque coniectum esse nemo non videt, cum deliberet: primum Philippidem opulentissimum illum et ditissimum si alterius facultatibus ad exornandam navem adiutus esset, nimium parcum

et tenacem, parum benignum et liberalem sese praebiturum fuisse, deinde ao. 349 a symmoriis, non ab uno cive quamvis ditissimo ad triremes exornandas pecuniam suppeditatam esse, quocirca Philippidem alius auxilium neque potuisse neque voluisse sibi adiungere. Postremo e verbis quae sunt *καὶ τοιούτους τινὰς πλουσίους καὶ τριηράρχους* effici, eorum, qui a Midia starent et causam componere studerent, alios trierarchos fuisse, alios divites et opulentos, non effici omnes divites eosdemque trierarchos fuisse; quod orator si dicturus fuisset, verba particulis *τὲ* — *καί* copulasset orationemque hunc in modum formasset *καὶ τοιούτους τινὰς πλουσίους τε καὶ τριηράρχους* [1]). E Midiana igitur nihil invenitur, quo Boehneckii opinio adiuvetur et confirmetur. Alia vero v. d. argumenta ex ea inscriptione sumpsit, qua quae a trierarchis armamenta ao. Ol. 107, 4 aut Ol. 108, 1 suppeditata essent, Boeckhius demonstrari putavit [2]). Qua in inscriptione cum de triremi nomine *Σύνταξις* suppletis quae interciderunt litteris haec verba legantur: *ταύτης* (scil. *τῆς Συντάξεως*) *ἐν τῷ νεωσοίκῳ ταῤῥὸς ἐντελὴς δόκιμος*, Boeckhius l. l. p. 29 contendit remigium quamvis integrum et incolume, cum a trierarchis novum datum esset, in navali esse relictum. Iam quia ex inscriptione a Pittakis edita, appareat, trierarchis navis, cui idem erat nomen *Σύνταξις*, remigium publice non esse datum, Boehneckius et eandem esse in utraque inscriptione triremem dictam putavit et utramque inscriptionem eiusdem illius anni esse. Quae num recte a Boeckhio et Boehneckio statuta sint, idcirco dubito, quia neque intelligitur, quid fuerit, cur a trierarchis novum remigium praeberetur integrum in navali relinqueretur, et quia ex inscriptionis nonae verbis colligi potest remigium, dum triremis illa in portu esset, in navali retentum et servatum fuisse. Sed insit in eo, quod Boeckhius proposuit, tantum, quantum re-

1) De ceteris, qui in inscriptione enumerantur, trierarchis Boehneckius l. l. p. 244 sq. ostendit Hieronem et Phanostratum illo anno trierarchia fungi potuisse.

2) Nona est ex inscriptionibus a Boeckhio in libro qui inscribitur „Urkunden über das Seewesen des attischen Staates“ editis.

quiritur, verisimilitudinis et probabilitatis, licuitne Boehneckio Boeckhii rationibus niti solis? Annon et eadem navis per complures annos usurpabatur atque in altum provehebatur et remigium a compluribus trierarchis in navali relinquebatur? Iam vero neque unum erat navi remigium et complures naves eodem nomine appellabantur; cuius rei, si quod opus sit, exemplum quarta l. l. edita inscriptione proditur, in qua duas naves nomine *Εὐτυχία* vel *Εὐτυχής* perscriptas fuisse Boeckhius l. l. p. 299 sq. demonstravit. Boehneckii igitur improbata et refutata sententia, definiendum est, quo tempore Demosthenes illa trierarchia functus sit.

Quoniam in inscriptione trierarchi nonnisi duo eidem triremi praefecti nominantur, etiam tum fuisse apparet syntrierarchiam, et quoniam Ol. 105, 4 symmoriae institutae sunt, haec Demosthenis trierarchia trium illarum ante Ol. 105, 4 annum ab oratore obitarum aliqua fuit. Prima autem Demosthenes trierarchia Ol. 104, 1 functus est, altera Ol. 105, 2, tertia Ol. 105, 3; quarum altera non temere neque inconsulte in Midiana silentio praetermissa est; nam malo expeditionis, in qua trierarchus erat, eventu orator permotus, quia gloriari non potuit, tacere maluit. Utut est, Ol. 105, 2 Demosthenes trierarchia functus est solus et ao. 3 Philinus eius syntrierarchus fuit; relinquitur ergo, ut inscriptio illa primae Demosthenis trierarchiae, quae syntrierarchia fuit, testimonium sit, unde quis syntrierarchus fuerit intelligitur. Eadem illa inscriptione docemur, cum verba, quae sunt *τῶν ξ[υλίνων οὗτοι ἔχ]ουσιν*, trierarchos lignea nescio quae armamenta accepisse significent, Boeckhium oec. Ath. pol. vol. I p. 714 e verbis Midianae *καὶ τἀναλώματα πάντα ἐκ τῶν ἰδίων ἐδαπανῶμεν* iure collegisse trierarchis non omnia armamenta comparanda et praebenda fuisse. Ex ordine vero, quo nomina in inscriptione seruntur, ut coniiciendi modus habeatur, non ausim concludere Philippidem, cui trierarchia publice imperata esset, priore loco, et Demosthenem, quod per antidosin trierarchiam obiisset, posteriore loco nominatum esse.

Vita.

Sigismundus Blaschke natus sum a. d. III Non. Dec. a. h. s. LI Vratislaviae patre Hirschio matre Helena e gente Silbergiana, quibus etiamnunc superstitibus maxime gaudeo; fidem profiteor iudaicam. Litterarum elementis a v. d. P. Ioseph imbutus decem annos natus gymnasium Elisabetanum adii et per octo annos frequentavi; ubi a quibus institutus sum cum omnes tum Carolum Fickert, quo directore gymnasium floruit et adhuc floret, Kampmannum, Ludovicum Kambly semper grata piaque memoria mihi colendos profiteor. Auctumno a. h. s. LXX maturitatis testimonio instructus et inter cives universitatis almae Viadrinae receptus postquam per sex menses scholis mathematicis interfui vv. cll. Bachmanni, Meyeri, Rosanesii, Berolinum me transtuli ibique civitatem universitatis litterariae Fridericae Guilelmae adeptus per octies sex menses audivi vv. cll. Bonitzium, Curtium, Droysenium, Hauptium, Huebnerum, Kirchhoffium, Lazarum, Mommsenium, Muellenhoffium, Nitzschium, Schoellium, Steinthalium, Vahlenium, Zellerum. Ac Kirchhoffii potissimum benevolentia et Hauptii, cui acerbo fato litteris et discipulis erepto successit

Huebnerus et Vahlenius, factum est, ut in seminarium philologum reciperer eiusque per quater sex menses sodalis ordinarius essem. Praeterea per quatuor semestria ad societatem suam graecam Kirchhoffius, per unum ad exercitationes quas instituit Schoellius aditum mihi benigne permiserunt. Quibus viris illustrissimis omnibus, ut quisque optime de me meritus est, gratias quas debeo maximas ago gratumque animum conservabo.

Sententiae controversae.

I. Formae quae sunt *κίνασιν* et *γεγέναμαι* ab editoribus, qui codices sequi malunt, quam rationem grammaticam perperam venditantur.

II. Vau litterae signum in Pindari carminibus non est scribendum.

III. In Eustathii prooemio commentariorum Pindaricorum p. 58 (ed. Tafel) haec scriptoris esse coniicio verba: *Τέθνηκε δέ, ὅτι κατὰ τὰ Περσικὰ ἤκμαζε, κατὰ τὴν ἕκτην καὶ ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα ζήσας ἔτη ἓξ καὶ ἑξήκοντα, κατὰ δὲ ἐνίους ὀγδοήκοντα.*


IV. Demosthenis quae leguntur verba or. XXVIII § 17 *τῶν χρόνων ὑπογύων ὄντων* a Boeckhio recte explicata sunt.

V. Dem. or. XLII § 1 post verba *τῇ γ' ἕκτῃ δοῦναι* inserendum est *φθίνοντος*.

VI. Terentii Hecyrae v. 325 (ed. Fleckeisen) scribendum puto:

Quonam m o r b o, Philumena mea, nunc te offendam affectam?

Ienae, typis Ed. Frommanni.


UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 059101854